



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

De sententia iudicis pro operibus misericordiæ. tit. 278

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

care, & car. Pharisei deridebant Christum, quando dicebat: Date eleemosynam, Lu. 11. Nam decimabant mentham, anethum, cyminum & rutam, & putabant se magnas dare eleemosynas. At illam eleemosynam iudicij & propriæ animæ non intellexerunt &c. Animam ergo primò tuam ciba virtutibus, ne fame pereat. Sed inquires, Quomodò dicit Christus: Date eleemosynam, & omnia munda sunt? Nunquid fides in Christum purificat & mundat, sicut dixit Petrus Acto. 15. Fide purificans corda? Respondeo: Fides in Christum, mundificat omnia, id est, quæ intus sunt, tollit peccata. At eleemosyna iuuat, vt ea, quæ foris sunt, etiam munda sint. Prius ergo pascite animam tuam fide in Christum, subindè omnia erunt munda, &c.

Tertiò, inquit Iesus Sirach Eccles. 25. Tres species odiuit anima mea, pauperem superbum, diuitem mendacem, & senem fatuum. Duo ergò nobis in exemplum proponuntur: diues ille, qui ampliauit horrea, Luc. 12 & Zachæus, Luc. 19. Diues epulo, Luc. 16. & Tob. 4. Chrysostomus super Matthæum: Si vis custodire thesaurum tuum, repone non in arcam, sed in manus pauperum: ibi inuidus non perdit, latro non spoliat, fur nocturnus non arripit, seruus fugam non meditatur, semper est tuus, semper integer, semper saluus. Et August. serm. 50. de tempore: Sunt pauperes latorarij siue latores nostri, qui ad cælum portant quod das. Sed quomodò ad cælum portant quod das, quandò hoc hic comedunt? Verum manducando portat in cælum, non retinendo. Nam inquit Christus Mat. 25. Esuriui, & dedistis mihi manducare, &c. Christus accepit quod pauperi dedisti. Ille accepit, qui tibi, vnde dares, dedit, vnde inquit: Venite benedicti, accipite regnum &c. At videant hoc diuites sine misericordia, &c.

DE SENTENTIA IUDICIS
pro operibus misericordie. III.

TITVLVS CCLXXVIII.



CHRISTVS saluator Matth. 25. solum commemorat opera misericordiae quod iuxta illa erit sententia, scilicet esuriui, sitiui, nudus fui, &c. & me cibatis, potastis, operijstis, &c. Ideo venite ad regnum vobis ab eterno preparatum, & iterum: esuriui, & non dedistis mihi manducare. Ite ergo in ignem aeternum. At cur de alijs operibus tacet, fide, preceptis decalogi, & sola illa commemorat? Augustin. serm. 38. de sanctis: Primum, scire debetis, quod nihil prodest verbis proferre fidem, & factis deserere veritatem. Ad Tit. 1. Confitentur se (verbis) nosse Deum, factis autem negant, sicut nulli placet seruus, qui solum verbis dicitur seruus, & tamen non vult opera serui implere: ita nomen non facit Christianum, sed opus. Ideo inquit Christus Matt. 16. Tunc reddet vni cuique, iuxta opera sua. Non dixit, secundum fidem suam, sed iuxta opera sua. Nam fides sine operibus mortua est, Iacob, 2. Commemorantur igitur sola opera in iudicio, ut sciamus non solam fidem, sed & opera esse media, per quae ad hereditatem possidendam perpetuo veniemus ex gratia & propter Christum. Nemo ergo falsa spe se circumueniat, id est, sola iactet fide, &c.

Secundo, Augustinus: Attendite, inquit iudex. Venite possidete regnum, non quia nunquam peccastis, sed quoniam peccata vestra eleemosynis mundare studuistis, & peccatoribus: Ite in damnationem perpetuam, non quia homicidia seu adulteria commisitistis, aliena rapuistis, sed ob hoc solum, quia esuriui, & non dedistis mihi manducare, & caetera. omnia alia tacentur, & solum opera misericordiae commemorantur. At nunquid sufficiunt sola opera misericordiae? licet ne alioqui esse adulterum, superbum, & solum se liberare operibus misericordiae? Absit, quia hoc verbum misericordia, includit in se fidem, charitatem,

QQ 4 spem

spem & omnia bona opera. Cur das egeno panem? inquis, propter Christum. Ergò credis primò in Christum, & hoc opere fidem ostēdis: alioqui panem non dares. Sic quia diligis Christum, quia speras salutem propter proximum, ideò nudum tegis, & Christum in proximo cognoscis. Et quoniam credis in Christum, ideò præcepta eius seruas, & vitia declinas. Misericordia igitur Christiana non est sine fide. Misericordia verò fugit peccata. Nam & ipsa te docet, ut miseraris animæ tuæ, abstrahendo à peccatis. Ideò Christus illa opera solùm commemorat, quæ includunt omnia alia, id est, fidem, charitatem, obseruantiam præceptorum, &c. Bonū autem opus ex omni parte debet esse bonum. Eleemosyna ergò sine fide, sine charitate, sed cum inuidia & cætera, non est vera & bona ex omni parte, Matth. 5. Vade reconciliari fratri tuo.

Tertiò Augustinus vult: Si in ignem mittitur, qui esurienti non dedit panem, quò mittetur, qui tulit alienum? si ille, qui non operuit nudum, in ignem mittitur: quò mittetur, qui vestitum & bona aliena expoliavit? si mittitur in ignem, qui non concessit hospitio domum suam: quo mittetur, qui tulit alienam? Quam ergo spem habituri sunt qui mala faciunt, quandò illi perituri sunt, qui bona non faciunt, iuxta illud Mat. 3. & 7. Omnis arbor quæ nõ facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur: non dicit, qui vel quæ facit fructum malum: sed, quæ non facit fructum bonum, &c. At dices: hinc cõmemorantur opera misericordiæ, non cuculla, cæremonie, &c. Respondeo: omnia illa sunt signa fidei & misericordiæ sequuntur fidem, non præcedunt. At tu nedum cucullam, sed etiam opera misericordiæ abijcis, sterili tua sola fide, & cætera. Studeamus ergò non solùm credere, sed etiam diligere, & bona opera facere.

Pauper